...do-
rum Franciscum Xaverium

Leopoli typis Coll. S. J.
1664.

FOMENTA PIETATIS
IN DIVVM
FRANCISCVM XAVERIVM
Indiarum Apoſtolum.
SOCIETATIS IESV.

IN GRATIAM EORVM,
qui eius ambiunt clientelam,
Mediolani priùs Italicè; de-
nuò Græcij Latinè, recèns ve-
rò Leopoli in lucem edita,
& approbata.

IHS

LEOPOLI.
Typis Collegij Soc: IESV.
Anno Dñi M. DC. LX. IV.

BREVIS SVMMA
VITÆ
S. FRANCISCI
XAVERII.

NAsci contigit Franciſcum XAVE-RIVM, eo ipſo tempore, quo nauigantibus Europæis recluſus nouus Orbis ſeſe aperuerat: ita diſponēte Diuinâ prouidentiâ; vt vbi mortalium vſibus partes terrarum aliæ adderentur, eſſet etiam, qui dilatando Chriſti ouili, ex occaſione, pro virili incumberet. Huic itaque operi vnus homo Franciſcus, in vas Electionis deſtinatus; ſimul à Deo comportatis in vnum Spiritûs Diuini dotib⁹ (quas olim in naſcēte Eccleſia diſperſas in multis doctor gentium Paulus ad Corinth. cap. 12. ſcribens, expreſſerat) mirificè fuit exornatus. Vt idem, & Apoſtolus audiret, & Propheta, doctrinâ abundaret, & virtute: ad hæc gratias curationū, & opitulationes, gubernationes animo-

rum, & genera linguarum, liberaliter è cælo communicata possideret. Erat Apostolus, quia à Christo per suum in terris Vicarium Nuncij Apostolici nomine delegatus, ad lucem Euangelij Indis accēdendam dimissus, decennio Orientem omnem percurrit. ibi vltro citroq; commeando, milliarium plus centum millib⁹ emensis, luci restituit eam, quæ iam tenebris obsoleuerat, doctrinam Apostoli Thomæ Euangelicam. Simul atque vaticinio fidem præstitit, quo idem Sanctus Thomas reponendum in vigorem pristinum abs se prædicatum Euangelium prædixerat tum, cùm mare erectam (quam designabat in remotiore littoris parte) crucem alluere inciperet, adfuturo nimirum tunc ab Europa sibi in munere docendi successore. Infidelium isthîc Myriades Christo addidit; Reges non vnos, Reginas, ac Principes fidei subiecit; delubra gentilium complura euertit, Idolorum quadraginta millia confregit, innumera Deo templa erexit, supra milli-

millionem ac ducenta hominum millia salutis lauacro propria manu tinxit. Primus ignotis antea populis Christum exhibuit; primus Iaponem sexaginta sex regnorum amplitudine vastissimam insulam, Dei causâ, accessit; primus in Sinarum portus pro fide dilatanda penetrauit: vbi laboribus, ac meritis confectū, nihilominus immensa conantem, non animus, sed vires defecerunt. Apostolum fore Franciscum, soror germana sanctimonialis a pietate commendatissima prævidit; quando conceptis literis enixe olim Patri persuaserat; fratrem studijs liberalibus admoueret, quod ille in Indiarum Apostolum a Deo destinaretur. Apostolum fore S. Hieronymus singulari apparitione visus Venetijs significauit: cùm Francisco ille Indias, & post futuros labores messem copiosam Dei horreis inferendam monstraret. Apostolum fore Deus ipse innuebat; quando suggestionibus quam plurimis Romæ has Francisco voces crebò

 ingere-

ingereret: Vas electionis mihi eſt iſte: ego oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati: quando item in ſomnis Indum, flebili prece à Franciſco ſubſidia poſtulantem ſubmiſit.

Prophetam fuiſſe Franciſcum agnouerunt ij, quorum mentis abdita penetrauit ſæpiùs; coram quibus res futuras euulgauit, res diſſitas tanquam præſens deſcripſit. Quod in Portugallia Rex, quod Romæ Ignatius decernebat; hoc eodem tempore mandabat, & exequebatur in Indiâ Franciſcus. Trecentis ſtadijs à loco Concionantis pugnabatur: ipſe tamen de ſuggeſtu incipientis, & declinantis pugnæ hiſtoriam, & ſucceſſum, ad amuſſim prælegebat ore, ad ſuſpenſos ab euentu auditores. Futura adeo certus narrabat, vt Propheta paſſim magis, quàm Xauerius audiret. Dicebatq; doctiſſimorum nonnemo: in multis Prophetiæ ſpiritum actualem, ſed conſtantem, & habitualem in admodú paucis, æquè atq; in Franciſco fuiſſe. Ma-

Magiſtrum verò, & Doctorem laurea Philoſophica Pariſijs, ampliùs autem cæli ſapientia apud Indos teſtata eſt. Vbi vniuerſis ludum ſapientiæ diuinæ in quo exercerentur, aperiebat. Acerrimus veritatis vindex, eam contra Brachmanes Indorum, Imanes Turcarum, Bonzios Iaponum conſtanter tuebatur. Tanti nominis factus illis gentibus; vt ad audiendum cæleſtem hunc doctorem, ſex mille ſtadiorum itinere nonnulli proficiſcerentur. Tantæ efficaciæ in docendo; vt exaggeratæ ſãctitatis diſcipulos, Caſparem Barzæum, Coſmum Turrianum, Antonium Criminalem Martyrem, aliosq; non degeneres Virtutum, & heroicorum Magiſtri facinorum imitatores feliciter formaret. Vt adeo etiam adoleſcentuli, qui eum audiebant, continuo tantùm non ex infantibus concionatores effecti, docerent, dum diſceren[t]; quin & ad patranda miracula, pellendos dæmones, ſanandos ægros, proterenda idola evolarent.

larent. Vt demum efficax doctrina A-postoli in luculenta Martyrum constantia, quorum sexcentos in Manarijs Insulis, infinitos in Iapone, & reliquo Oriente educauit, cùm maximè postea elucesceret.

Porro virtutum dona; ea nimirum, quæ animam exornant, in illo erant admiranda. Mundo nota est Charitas, qua ardens ferebatur in Dominum, omni vsque adeo sui cura posthabita, neglecto quouis sui dispendio; vt inter aduersa, quæ imminere sentiret, non dubitaret prouocare amplius, amplius; & inter prospera gratiarum Diuinarum, satis, satis ingeminaret; solo scilicet Amore Diuino beatus, & contentus. Diuidebat amplissimam hanc in Deum Charitatem, propter eundem liberalis in proximos; nullis incommodis vnquam in procuranda animarum salute vspiam fractus. Percurrebat Orientem nudipes, confixis pedibus a veprium stimulis, baiulus ipse sacerdotalium indumē-

torum,

corum, ac librorum diuinorum, contẽtus in annonam delatis secum pauculis oryzæ granulis. Ad hæc, quò fortiùs progrederetur, sponte suâ datus in seruum ei, qui deduceret vias incognitas: quem si pedes consequi non posset, nonnunquã ad equi caudam manibus appensus, seu rueret in terram, seu erigeretur, infatigabilis sequebatur. Maritima itinera obibat, tempestates inter & naufragia, ter omnino demersus, & cui nauis incumberet: vndique oppugnatus, afflictiones inter, & morbos, pericula inter, & vitæ, rerumq; omniũ egestatem. Impugnabant Dei seruum gentiles, inuadebant pyratæ, & latrones, vexabant dæmones, calumniabantur falsi fratres: postremi illusionibus, & vi apertâ inimici; prædones intentatâ morte formidandi; dæmones verberibus, ac suggestionib⁹ infesti; Gentiles positis insidijs vitam appetentes, calumnijs famam lacerantes, lapidibus, ac luto in prætereuntem molesti, veneno non semel propinato fraudulenti

dulenti: bis expositum percussoribus, vt occideretur, iterum apud Amangu-zij regem pro insano delatum iniurij traducebant. In Moro Insulâ ab incolis lapidandus ad flumen se receperat, ibi trabe immani, adiuuante Deo serui sui protectore, arundinis in morem prehensâ, ac substratâ, in portum cis fluuium euasit. Sæpiùs nihilominus vitæ prodigus occurrit occisuris, si liceret, hostibus intrepidus. Quoties seruiuit contagio infectis? quoties increpuit de erroribus armatos in aduersum, lapidibus gentiles? quoties contemptâ Regulorum, sacrificulorum indignatione, Idola deiecit? Contra exercitum Badagarum, qui irarum ac cœdis plenus mouebat in Christianos, vnus Franciscus ante aciem suorum stetit, & hostem furia temulentum, voce, & adhortatione repressit.

Iturus in Iaponem, naui se commisit perditissimorum hominum cœdibus itinerantium infami. Insulam Moro a-

diit

dijt peregrinis deuorandis assuetam. Penetrauit in Sinarum continentem, vbi mors decernebatur ingresso. Ita Deus, & proximus, totam sibi Xauerij vendicabat charitatem; vt iste se contempto, virtuosè immemor auitæ nobilitatis profectæ à Regibus Nauarræ, ac collatæ dignitatis Legati Apostolici, in fidei promouendæ fauorem ad genua, & deosculandas manus reuerenter accideret cuilibet cuiuslibet ordinis sacerdoti, omnium autem se postremum demisse sentiens, terrâ, & mari, Xenodochio, & itinere non haberet inferiorem, ac vltimum, cui non primus ministraret. Curabat equos, verrebat habitacula, eluebat patinas. Ipsam vlcerosorũ saniem aggressus, eo ardore, & sensuum victoriâ; vt dum eam pro consuetudine suâ abstergeret, semel aquam à loto vlcere defluentem ebiberit, & aliàs ipsum vlcus cum corruptâ sanie exsuxerit. Omitto reliqua admirandarum ipsius Virtutum. Assam oryzam quotidie semel, nec aliud,

liud, delibabat, crebriùs omninò abstinuiſſe contentus. Aquam gutturi, cilicium corpori aſſueſecerat, cui ſuperinduebat cannabis nigræ villoſam veſtem. Frequentiſſimum illi flagris ſæuire in ſeſe. Quotidianum pro lecto habere terram, aut funes nauticos, aut iuncos pungentes.

Quodſi iam Virtutum Apoſtolicarũ nomine miracula patrata intelligas: deficiet calamus, & lingua narrantem. Mirandus in ignibus, incendium à domo auertit. Mirandus in àére, peſtem ab vrbe Malacâ expulit, poſt illatos reliquiarum ſuarum fragrantiſſimos odores. Tolenſem ciuitatem rebellem, Chriſto & Luſitanis, immiſſâ cœlitus cinerum pumicum, ac lapidum grandine, & ex inde foſſis repletis, attritiſque aggeribus, coégit in obſidentium Chriſtianorum vota deſcendere. Mirandus in Aquis, acquieſcere iuſſit tempeſtates imperato mari, & ventis ſilentio. Mutauit acerbitatem ſalſuginis maritimæ

in obsequium bibentium, vel demersa in aquas cruce, vel pede intincto. Mirandus in terrâ, commoueri illam iussit. Ampliùs autem in corpore suo terreo admirandus; quod elatum non semel sine adminiculo hærebat in àére; quod stimulis concupiscentiæ carneæ absolutum, perpetuo Virginitatis flore intactum viruit; quod tot inter verbera, & insidias, morbos, & ærumnas, pestem, ac venena semper inoffensum valuit; quod deniq; post mortem defossum viua in calce, & putri terrâ, incorruptum, & amænissimè redolens perseuerauit. Exercebat Franciscus imperium in feras; quando ad littus maris, iniectum antea sedandæ tempestati crucis signum à portitore Cancro recepit. Exercebat imperium in dæmones, quos ab obsessis corporibus expellebat quotquot occurrerent: quiq; cùm Sanctus Insulam Moro primùm pro concione alloqueretur, concussà terrà, & adapertâ, rugitibus, ac lamentis inconditis fugere sese vo-

ciferabantur, & audiri à gentilibus per aërem conclamantes, & circumdati ignibus: Tu nos peruris Françifce, tu è regno pellis.

Sed nec defuit Francifco prærogatiua conferendæ fanitatis. Fuit è Socijs vnus, quem cum morte luctantem, cereoq; in manibus ardente prælucentem sibimet ad iter æternitatis ingrediendum, uno complexu fanauit. Fuit vulneratus alius, qui humeris Francifci impofitus, quafi ad medelam capeffendam deferretur, fubitò incolumis exfilijt. Fuit leprofus, cui Sanctus fimul eluit vlcus, & fanauit. Fuit Malacæ Epifcopus, qui ducturus ad calculum miracula fanitatum redditarum à Xauerio, octingentis fubitò recenfitis, animaduertit, laborem non refponfurum copiæ, & multitudini. Fatetur India vbi non modò ipfe, fed, & eius facri crines, cingula, rofarium, fuggeftus, lampades, aqua deniq; numifmate illius delibuta, quid? vmbra fola innumerabil

biles sanauit. Fatebitur ipsemet Franciscus, qui vbi funiculis brachia, & costas, ardore admirando potiùs, quàm imitando mortificandi sese, arctissimè constrinxisset, exindeq; periculo, & incurabili vulnere, desertus à medicis laboraret, oratione factâ seipsum momento restituit valetudini. Quid autem in sanitate redditâ tot ægris hæremus attoniti? qui suscitatos, quorum iniri omnis calculus necdum omninò potuit, mortuos à Xauerio scimus. Ab illo ex narrationibus authenticis homines viginti quinque recepisse vitam fatentur, pars iam aliquot dies in sarcophago defossi, pars iam iam ad tumulum deferendi. Vidimus Christi Domini miracula reposita in lucem, quando Regulus Gentilis Xauerium rogabat supplex; descenderet in domum suam, vt vitam filiolæ demortuæ restitueret. Et ille respondebat: Iret modò, filiam viuere: Discesserat etiam suboffensus responso regulus, sed mox ab obuio fa-

mulitio de restitutâ filiâ recreatus, miraculum deprædicauit. Expostulabat alia cum Francisco confidenter, vt quondam Martha: Si fuisses hîc, filia mea non fuisset mortua. Replicabat ille; Filia tua viuit. Et quî verum hoc sit, inquit ista, iam triduo sepulchrum incolit? Sed fidem dicto fecit Franciscus, quando deductus ad sepulchrum rediuiuam matri restituit.

Sextum Spiritûs Apostolici donum est opitulatio advolans ardenter in proximorum subsidia. Omnis in hunc scopum vita Xauerij desudauit, quam totã ipse subsidio, vel ignorantium, & peccatorum, vel pauperum, & oppressorum, vel ægrorum, & periclitantium, imò vniuersorum simul plenè dedicauerat Adeò vt cùm adesse singulorum necessitatibus non posset; sæpiùs pluribus in locis replicatus accurreret omnium calamitati subleuandæ. Inuocatus à naufrago, absens adfuit, & triduo adstitit natanti, donec consumptis cæteris naufragorum, vnus ill

ille portum saluus contingeret. Eodem portento decem alios periclitantes in naui malè conductâ non deseruit. Plus spei captabant nautæ ex laceris, & vetulis nauigijs, quibus præsens adesset Xauerius, quam ex integris, & valentibus. Mercimonia comportabantur magno quantumuis persoluto pretio etiam a Gentilibus, in eas naues, quibus ille veheretur. Mortui Apostoli lipsana malè materiata nauis deferebat: & iam ab obuio scopulo metus incubuerat; cùm inuocatus à nauarchis Franciscus effecit, vt nè scopulus nauim, sed nauis scopulum illæsa perfractũ transiret. Quo factũ vt etiamnum à nauigantibus promiscuè Christianis, & Idololatris, pro Cynosurâ, ac maris patrono haberi, & suspici meruerit. Dono gubernandi, ac flectẽdi animos mortalium, miro modo Xauerius eminuit: siue in communi vitâ cum populo; siue in regimine cum socijs; siue in alloquio cum principibus, ac regibus versaretur. A Sancto Ignatio de-

ſtinabatur ad clauum Societatis vniuerſæ. Rex Luſitaniæ nutum illius pro imperio captabat. Reges Bungi, & Amangucij, non tam dicto reuerentes, quàm obtemperantes habuit. Rex Trauancoridis edicto ſanxerat, vt Magno Patri regnicolæ, non ſecus, ac Magno Regi, ſibi, obtemperarent. Rex Tanoridis, ac complures alij, concionantem audiuerunt, & in fide ſecuti ſunt. Suſpiciebat Paulus III. viuentis Sanctitatem. Marcellus II. deſiderio videndi, hominem ex Indijs reuocabat Romam. Verbo, præſens, abſenſq; corda ſingulorum inuolabat. A Gentilibus templum eius honori collocatum. In quo admirandũ illud accidit: quòd, cùm à petulantibus, & maleuolis oleum ſublatum fuiſſet de lampadibus; aqua nihilominus lychnos ardentes alere perrexerit: immò cùm aquam ipſam perditi mutarent, & lychnos variarent, non deſtiterint tamẽ fulgere lampades: deniq; etiam cùm extinguerent illi lychnos, iſti occultâ vi reac-

vi reaccensi arserint. Quid demum in omni regimine animorum maius, quàm armatos exercitus barbarorum authoritate, quod fecerat Franciscus, terrere, atque in fugam agere?

Octauo demum Spiritûs Apostolici ornamento Xauerius fuit illustris: dono scilicet linguarum. Centum idiomatis ab inuicem dissidentibus loquebatur Oriens: nec minùs totidem, Deo propitio, respondebat, & colloquebatur Xauerius, bene singulis, & eloquenter. Neque hîc sistebat profusa Dei gratia. Concionabundus ad populum diuersarũ simul gentium, atq; idiomatum à quolibet sua cuiusque vernaculâ intelligebatur. Rursus ad plurium quæstiones difficillimas, ac dissimillimas respondens simul multis, vno ore, vno verbo, singulis satisfaciebat. Ita de ipso processus authoritate Ecclesiastica instituti, ita Historiæ referunt. Quibus addunt, ex tot admirabilium rebus gestis id consecutum esse Xauerium, vt tandem non

Francisci, sed vel Angeli, vel prophetæ, vel mortuorum suscitatoris, modò sancti, modò Magni Patris nomine audiret. Obtinuit tamen ab omnibus primas ex agnominibus, cum suffragio Summorum Pontificum, & aggratulatione orbis vniuersi, denominatio Indiarum Apostoli, quâ omnium ore S. Xauerius salutatur.

Pia opera honori S. FRANCISCI XAVERII vsurpanda.

Occasionem instituendis pijs operibus, ijsque ad honorem S. Francisci Xauerij piè exercendis dabit. Primò, numerus annorum, quo per orientem Dei cultum, & agnitionem promouere satagit; deinde dies, tum quâ in morbum supremum incidit, tum ea, quæ fuit obitûs, quo Sanctus Apostolus ad cœlum discessit.

Decem omninò annis, & mensibus aliquot, immensis laboribus in fide Christi per Orientem propaganda confectus S. Apostolus Franciscus Xauerius, tandem an-

dem anno 1552. vigesima Nouembris, dominicâ die, quæ fuerat mensis tertia, ad coronam pro meritis capessendam euocari cæpit. Peractâ enim piè liturgiâ sanctissimâ, morbus illum supremus occupauit; à quo in dies debilitatus, demū alterâ Decembris sextâ feriâ, sub horam diei vigesimam primam extinctus est. Eiusdem anni ferijs sextis omnibus in Hispaniâ, in domo paternâ Francisci, effigies lignea Crucifixi sanguinem sudare visa, ipso gloriosæ hujus mortis die, reprimere sudorem cruentum cœpit, nec postea ampliùs manare. Consueuerat eadem crucifixi effigies per continuos decem annos, quoties S. Apostolus Franciscus graui molestiâ premeretur in Indijs pariter stillare sanguinem; quasi laborum prænuncia, aut condolens infortunio. Ita rem miram affirmat P. Daniel Bartholus in vitâ sancti, quam Historiæ Asiaticæ Societ. IESV, libro quarto primæ partis inseruit.

Mortis igitur, & rerum gestarum memoria,

moria, iuuabit ad determinandas deuotiones nonnullas honori eiusdem Sancti Patroni assumendas. Quarum aliæ erũt ordinariæ, non omittendæ omni vitâ, in finem impetrandæ eiusdem semper, & vbiq; assistentiæ, & protectionis. Aliæ erunt extraordinariæ, instituendæ tum, cùm pro speciali gratiâ singulariter fuerit Sancto Patrono supplicandum.

Ordinaria pia opera singulis mensibus.

Opportunum fuerit singulis primis ferijs sextis cuiuslibet mensis, sacræ synaxi accumbere, ac ieiunium eiusdem diei stabile offerre Deo, cum dictâ communione, pro animabus Purgatorij, quæ peculiariter affici erga Sanctum consueuerunt.

Proderit deinceps, quâuis tertiâ Dominicâ mensis, coronam Beatissimæ Virginis recitare; aut sacro Missæ interesse, supplicando pro conuersione gentium. Insuper Communionem, quæ fortè feriâ sextâ minùs commodè accideret, eodem Dominico peragere.

Singu-

Singulis Hebdomadis.

Feriâ sexta cuiuslibet hebdomadæ, conducet inuisere templum S. Apostolo dedicatum, aut altare, recitando eo in loco decies Pater, decies Aue, & decies Gloria Patri, recolendo memoriam annorum decem, quos pro salute proximi in Indijs impendit; factaque intentione orandi pro omnibus Sancti huius Patroni honorem fideliter, ac solicitè procurantibus.

Singulis diebus.

Singulis diebus licebit cuiuis ter deuotè pronunciare sequentia: S. Francisce Xaueri ora pro nobis, vt digni efficiamur promissionibus Christi. Commodiùs fortè accidet ista dicere. Primò, cū è lecto surrexeris; secundò, vespere priusquam decumbas; tertiò, sub horam vigesimam primam, quâ & Christus, & Sanctus tuus Patronus obierat.

Extraordinaria pietatis opera.

Quodsi quis peculiarem aliquam intercessionem ipsius Sancti, pro impetranda sibi

dâ sibi à Deo singulari gratiâ desiderauerit; vtetur sequentibus, & iam visitatis alibi Sanctum inuocandi, & honorandi rationibus. Eligat primo decem ferias sextas continuas, quarum quamlibet ieiunio, confessione, & communione peractâ, transigat. Recitet secundò decies Pater, decies Aue, & decies Gloria Patri, in Ecclesiâ, aut ad altare sancto Apostolo consecratum. Offerat Deo merita sancti sui Patroni exhibita ab eo per id tempus, cùm is proximorum saluti deseruiret. Oret pro Ecclesiæ sanctæ publicis necessitatibus. Pro conuersione infidelium, & Acatholicorum, eorum maximè, qui obstinati voluuntur in sceleribus; præsertim si quos tales, in viciniâ domûs, aut regionis fore contingeret. Pro animabus item in purgatorio, & pro singulis, qui sancto huic Apostolo peculiariter se dedicarunt. Quibus omnibus demùm id subiunge, quod postulas, & roga desideratam gratiam.

Per decem has hebdomadas consultū

erit, sæpiùs historiam vitæ ipsius sancti inspicere; vt ad sequelam heroicarum ipsius virtutum exciteris; & maiorem fiduciam concipias consecuturæ gratiæ ex ipsius intercessione.

Aduerte, prædictas deuotiones vsui etiam esse posse, cùm gratias agere volueris de beneficio non vulgari per intercessionem S. Xauerij obtento.

Motiua excitandæ pietatis erga S. XAVERIVM accommodata.

1. Habuit zelum indefessum iunctum magnanimitati imperturbabili, aggrediendi, & sustinendi quiduis arduum, ac difficile, pro animarū, ac proximi salute.

2. Dexteritate admirandâ pollebat, & suauitate agendi amœnissimâ, quâ singulis sese amabiliter, & mirabiliter insinuabat: quò certiùs captos, deinde ad Deum pertraheret.

3. Ab omni rerum mūdanarū, & humanarum solatio discesserat.

4. Ardebat immenso ergaDeum amoris incēdio, & cordis affectū vultu, ac gestibus ad

ad cœlum, Deũq; directis præſeferebat.

5. Vixit, ac mortuus eſt Virgo; & quemadmodum erat animo immaculatus, ita corpore poſt vitam manſit incorruptus, odore ſuauiſſimo è lipſanis diffuſo.

6. Excellens fuit præter morem in omni virtute, & gratiâ Diuinâ.

7. Innumeros ad fidem Chriſti laboribus ſuis deduxit, atq; ad cœlũ trãſtulit.

8. Admirandâ gratiâ miraculorum, tum in vitâ, tum poſt mortem claruit.

9. Experti ſunt frequentiſſimi, qui ſincero affectu eius patrocinio ſe commiſerunt: aut obtinuiſſe ſe, quod petebant per eum; aut dono tolerantiæ, & conformitatis cum diuinâ voluntate fuiſſe remuneratos.

Obſeruanda ĳs, qui proficere volunt in cultu erga S. XAVERIVM.

1. Effigiem Crucifixi peculiari veneratione proſequi.

2. Aſſiduè Deum pro conuerſione infidelium deprecari.

3. Frequenter pro animabus in Purgatorio Deum rogare. Soli-

4. Solicitum pro conseruandâ illibata puritate vigilare.

5. Pro viribus suis in obsequia, & auxilia proximi incumbere.

6. Crebrò confiteri, & conscientiam per examina, non secus ac pro morte, discutere.

7. Sæpè Euangelicum illud animo recolere: Quid prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur?

8. Quandoquidem actionibus supradictis tota S. Xauerij vita redundat, conniti ad eius imitationem easdem sibi reddere familiares.

9. Demum agere, vt promoueatur eius cultus, & veneratio, manifestando gratias per eum acceptas, & confitendò nostram versus ipsum obligationem.

Instructiones bene uiuendi excerptæ ex vitâ S. XAVERII conscriptâ per Patrem Ioannem Lucena Soc. IESV.

Primò, nobis ipsis attendere, non obliti vnquam, nec pigri ad ea, quæ Deo,

quæ animæ nostræ, quæ conscientiæ debemus: ita enim feliciùs, ac promptiùs Deo seruiem⁹. Quotidie bis, manè cùm surgimus, & vespere, aliquo temporis spatio colligere mentem, & quidpiam de vitâ Christi Domini considerare.

Conuersatio nostra circumspecta sit, & modesta. Moneo vos, ita cum amicis intimis agere, quasi ipsi futuri sint olim inimici vestri. Multùm proderit hæc animaduersio. Ita enim in omnibus actionibus, & alloquijs, ipsorum ædificationi consulemus; & ipsi, si quando amicitiam nostram deseruerint, sibimet imputabunt: meritò confusi, quòd à bene agentibus desciuerint.

Ante omnia prouidere, vt vero amore proximum diligamus; & assuescere, ferre sensim, ac sine molestiâ, si quid in proximi moribus apparet intolerabile: & hoc est legem charitatis perfectæ assequi, pronũtiatã à Christo: In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionẽ habueritis ad inuicẽ. *Ioan:13*

Quoti-

Quotidie animas in Purgatorio detẽtas Deo commendare; & eas, quæ in peccato mortali hærent constitutæ; deniq; eas, quæ in agone fortè tunc versantur. Non decumbere lecto vesperi, nisi priùs conscientia per Examen excussa; expendendo cogitata, dicta, facta illius diei; item defectus commissos, & offensas aduersus Diuinam Maiestatem: atq; hoc eadem diligentiâ agere, qua consueuimus ad confessionem sacramentalem accessuri. Post hæc à Deo veniam erratorum petere, & subiungere propositum emendationis. dictoq; Pater noster, & Aue Maria, deliberare breuiter de modo emendationis instituendæ, & progrediendi in via Virtutis.

Manè euigilantium prima cura, & cogitatio, sint defectus in hesterno examine deprehensi, de quibus iterum pœnitentes, ac dolentes, dum vestes induim⁹, & emendationi futuræ accingimur, Deũ rogare debem⁹ pro gratia, nõ denuo in eosdẽ, minùs in alios relabendi. Quæ bo-

na admodum diſpoſitio eſt, vt exinde cũ humilitate debitâ ad meditandum, & orandum accedamus.

Piaculo ducere minimum quid detrahere de ſolitis pietatis exercitijs. Contendere in omni re vincere noſmetipſos; frangentes appetitum in eo, ad quod hic inclinat: complectendo autem, & ſectãdo, quod ille maximè refugit, & à quo abhorret.

Vbique deſiderare depreſſionẽ noſtri, & contemptum; quia ſine his, nec proficere in ſpiritu, nec imitari Chriſtum, nec placere ſanctis, nec Deo grati eſſe poſſumus. Confeſſario in omnibus, quæ iuſſerit, obaudire, nihil opponendo, aut excuſando: eidem conſcientiam palam faciendo, tentationes illi ſingulas, & inclinationes peruerſas denudando. Eſt enim hoc præſertim auxilio nobis ferendo, & præſcribendis morborum remedijs neceſſarium, & inſuper ſola illa demiſſio, quâ alteri quis ſe confidit, & ſubijcit, (præſertim autem Confeſſario) dæ-

monem

monem sæpissimè abigit; qui vt plurimùm vincit, dum decipit, non potentiâ, sed fraudibus: siquidem viribus exiguis est, & semel detectus captiuum se illicò fatetur. Ad hæc lumen cæleste, & gratia Dei penes eos quærenda est, qui in terris Numinis loco nobis proponuntur. Demum illud frequenter in corde, & ore versare, *Vince teipsum*; quod erat illius documentum.

OFFICIVM S. FRANCISCI *XAVERII. S. I.*

AD MATVTINVM.

Domine labia mea aperies. Et os meum annuntiabit laudem tuam. Deus in adiutorium, &c. Domine ad adiuuandū &c. Gloria Patri, &c. Sicut erat, &c.

HYMNVS.

In flore vitæ Xauier,
Spretis honorum fascibus,
Spebusq́, stirpis patriæ,
Ad cæli amores vertitur.

Sacri calore ſpiritûs
DEO parata victima,
Ignatianis æſtuans
Totus liqueſcit ignibus.
O vita IESV cordium!
Fac, vt, caduca deſerens,
Te, ſorte quam conceſſeris,
Mea mens requirat vnicum!

Antiph. Egredere de domo tuâ, & de cognatione tuâ, & de terra Patris tui, & veni in terrã, quam monſtrauero tibi. *Gen.* 12.

℣. Inveni filiũ Ieſſe, virũ ſecundum cor (meum.
℟. Qui faciet omnes voluntates meas. *Actor.* 13.

Oremus.

Deus, qui Euangelium Regni tui, per barbaras gentes, & reconditas nationes, S. Franciſci tui Xauerij prædicatione ſeminaſti; & eius ſanctitatẽ innumeris hactenus miraculis decoraſti: cõcede quæſumus; vt, cuius memoriam agimus, etiam virtutes imitemur. Per Dominum noſtrum, &c.

AD LAVDES.

Deus in adiutorium meũ intende, &c.

HYMNVS.

Exegit omnem laudibus,
Amoribusq; Numinis,
Inter secunda, & aspera
Vitæ diem Xauerius.

Seu manè Sol assurgeret,
Seu conderetur æquore;
In ore DEVS insederat,
In corde IESVS vixerat.

Mea, DEVS, ô felicitas!
Fac, vt (quod olim gestio
Amare te perenniter)
Dum viuo, totus ardeam.

Ant: Quid mihi est in cœlo, & à te, quid volui super terrã? Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. *Psal.* 72.

℣. Laudabit vsque ad mortem.

℟. Anima mea Dominum. *Eccl* 51.

AD PRIMAM.

Deus in adiutorium, &c.

Hymnus.

Misertus orbis vltimi
Xauerius caliginem,

Ab Occidentis finibus
Emergit instar Cynthij.
DEVM ferebat pectore
Feris docendum gentibus,
Apostolus deperditæ
Iterum futurus Indiæ.
IESV salus mortalium!
Ita fac amare proximum;
Vt ab hoc amore Curia
Adaugeatur Cælitum.

Antiph. Ite Angeli veloces ad gentem exspectantem, & conculcatam; cui diruperunt flumina terram. *Isa.* 18.

℣. Dedi te in lucem gentium.

℟. Vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. *Isa.* 49.

Oratio vt suprà.

AD TERTIAM.

Deus in adiutorium, &c.

Hymnus.

Miraculorum gloriâ,
Apostolatûs insulis,
Et gentium præconijs,
Vbique magnus Xauier.

Francisci Xauerij,
Suo tamen suffragio,
Postremus vnus omnium,
Cuiuslibet solatijs
Se dedicat Xauerius.
O qui superba conteris
IESV humilium sublimitas!
Tuo ex amore despici,
Fac, vt frequenter expetam!

Ant. Ante Dominum, qui elegit me, vilior fiam, plusquam factus sum: & ero humilis in oculis meis, & gloriosior apparebo. 2. *Reg.* 6.

℣. Omnibus omnia factus sum.

℟. Vt omnes facerem saluos. 1. *Cor.* 9.

Oratio vt supra.

AD SEXTAM.

Deus in adiutorium, &c.

Hymnus.

O Virginem Xauerium!
Et sanguinis caloribus,
Erroribusq; gentium,
Et somnijs superstitem!
Hinc castitas post funera
Vetuit malam putredinem

Intacta

Intacta semper lipsana
Xauerij contingere.
O Diua IESV puritas!
O Matre nate Virgine!
Da labe sine, me consequi,
Quà ductor Agnus iuerit!

Ant. O quàm pulchra est casta generatio cum claritate; Immortalis est enim memoria illius; quoniam apud Deum nota est, & apud homines. *Sap.* 4.
℣. Hi sequuntur Agnum quocunq; ierit.
℞. Sine macula enim sunt ante thronum Dei. *Apoc.* 14.

Oratio vt suprà.

AD NONAM.

Deus in adiutorium, &c.

Hymnus.

Vastæ remotas Indiæ
Plagas obit Xauerius.
Loiola sed vel litterâ
Si iusseris, reuertitur.
Nec sol, vt vt promptissimus,
Vel stare, vel recurrere,
Volente iussus Numine,
Talis resorbet orbitam.

Exor-

Exordientem Nominis
Agnosco IESV literam,
Opto per hanc cum legibus
Dei placita decurrere!

Ant. Audi Fili mi, disciplinam patris tui, & nè dimittas legem Matris tuæ. vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. *Prou.* 1

℣. In capite libri scriptum est de me.
℟. Vt facerem voluntatem tuam Deus meus. *Psal* 39.

Oratio vt suprà.

AD VESPERAS.

Deus in adiutorium, &c.

Hymnus.

Cecidêre monstra Tartari,
Idola pulsa gentium
Fide instituti Iapones,
Chinæ reclusa littora.
Vicena quin & funera
Et quinque vitæ reddita:
Pulsis tot orbe pestibus,
Francisce, Numen euocat.
IESV laborum præmium,

Mercede maior maximâ:
Conando quidquid gessero,
Te, Te in coronam postulo.

Ant Cum ipso sum in tribulatione: eripiam eum, & glorificabo eum: longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. *Psal.* 90.

℣. Nimis honorati sunt amici tui Deus.
℟. Nimis cōfortatus est principat⁹ eorū. *Psal* 138. Oratio vt suprà.

AD COMPLETORIVM.

Deus in adiutorium meum, &c.

Hymnus.

Francisce iam cœlestium
Diuis recepte sedibus,
Dignare te colentium
Pijs adesse mentibus.

Omnem per orbem, gloriæ
Tuæ eriguntur symbola:
Per te impetratæ gratiæ
Vbique stant insignia.

Eous, & Septemtrio,
Meridies, & Occidens;
Et iste, & ille plurimis
Tibi calet clientibus.

O perditorum temporum,
Francisce, spes amplissima!
Orbis Pater nouissimi
Patrone, lux, Apostole.
Saluet tuoq; lumine
Tuos serena supplices:
Fac, mundus omnis ardeat
Diuini amoris Numine.
Fides vt vna gentium,
Fines inundet omnium;
Vt vna pax cælestium
Cor iungat, & terrestrium.

Ant Hic est fratrum amator, & populi Israël, qui multùm orat pro populo, & vniuersâ sanctâ Ciuitate. *Mach.2 c 15.*
℣. Ora pro nobis S. Francisce Xaueri.
℞. Vt digni efficiamur promissionibus Christi. Oratio vt suprà, &c.

LITANIÆ
AD SANCTVM FRANCISCVM XAVERIVM.

Ex ijs

Quas Illustrissimus Dominus D. F. Ca-

ſtrus de Villarroel, Epiſcopus S. Iacobi Chilenſis, & Regiæ Hiſpaniarum Maieſtatis à Conſilijs, in honorem Sancti, quòd eius patrocinio inter ruinas ex terræ motu iam ſepultus, ſaluus tamen euaſerit, gratitudinis ergò concinnauit ipſe, & ſtatis ex voto diebus recitauit, ac etiam deinde in publicum aliorū bonum typis euulgauit.

Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Chriſte audi nos. Chriſte exaudi nos.

Pater de cœlis Deus, Miſerere nobis.
Fili Redemptor mundi Deus, Miſerere.
Spiritus Sancte Deus. Miſerere n.
Sancta Trinitas vnus Deus, Miſerere n.
Sancta MARIA, Ora pro nobis.
Sancta Dei Genitrix, ora.
Sancta Virgo Virginum, ora.
Sancte Pater IGNATI, ora.
Sancte FRANCISCE XAVERI, dignisſime, & dilectiſſime Fili S P. Ignatij, o.
S. Franciſce Xaueri Indiarū Apoſtole, o.
S. Franciſce Xaueri Euāgelizās pacē, o.

S. Fran-

S. Francifce Xaueri Euãgelizãs bona, o.
Vas electionis portans Nomen Iefu coram gentibus, ora.
Vas redundans Diuinæ charitatis, ora.
Firmamentum Orientis Ecclefiæ, ora.
Propugnator Fidei, ora.
Impugnator infidelitatis, ora.
Prædicator Euangelicæ Veritatis, ora.
Idolorum deftructor, ora.
Electum à Patre æterno inftrumentum propagandæ Diuinæ gloriæ, ora.
Fidelis imitator, & Socie IESV Chrifti Filij Dei, ora.
Tuba refonans Sancti Spiritûs, ora.
Columna Templi Dei, ora.
Lux Paganorum, ora.
Magifter credentium, ora.
Speculum veræ pietatis, ora.
Dux in in viâ virtutũ, & Chriftianæ perfectionis, ora.
Exemplar Apoftolici Spiritûs, & fanctitatis, ora.
Lumen cæcorum, ora.
Pes claudorum, ora.

Auxiliator naufragantium, ora.
Salus ægrotorum, ora.
Fugator Dæmonum, ora.
Vita mortuorum, ora.
Cuius poteſtati obediunt mare, & tempeſtates, ora.
Cuius imperia venerantur vniuerſa elementa, ora.
Prodigiorum Thaumaturge, ora.
Refugium miſerorum, ora.
Gaudium afflictorum, ora.
Orientis ſplendor, ora.
Pignus reſurrectionis ad vitam gratiæ, & gloriæ, ora.
Tabernaculum incorruptionis, ora.
Ærarium Diuini Amoris, ora.
Gloria Societatis IESV, ora.
Legate Apoſtolicæ Romanæ Sedis, ora.
Pauperrime Xaueri, ora.
Caſtiſſime Xaueri, ora.
Obedientiſſime Xaueri, ora.
Humillime Xaueri, ora.
Crucis Chriſti, ac laborum pro Chriſto cupidiſſime Xaueri, ora.

In ſalu-

In salutē proximi vigilātissimeXaueri, o.
Suauissime Xaueri, ora.
Gloriosissime Xaueri, ora.
Animarum, &Diuini honoris Zelator ardentissime, ora.
Angele moribus, & vitâ, ora.
Patriarcha affectu, & studio curandi populum Dei, ora.
Propheta dono, & Spiritu, ora.
Apostole dignitate, & merito, ora.
Doctor gentium potens in multifario sermone, & opere, ora.
Confessor virtute, & vitæ professione, o.
Virgo animo & corpore, ora.
In quo vno omniū Sanctorū merita ex Diuinâ benignitate veneramur. ora.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Parce nobis Domine.
Agnus Dei qui tollis peccatamundi, Exaudi nos Domine.
Agnus Dei qui tollis peccata mundi, Miserere nobis.
Christe audi nos, Christe exaudi nos.
Kyrie eleison. Christe eleison. Kyrie eleison

eleison. Pater noster, &c.
℣. Et nè nos inducas in tentationem.
℟. Sed libera nos à malo.
℣. Ora pro nobis S Franciſce Xaueri.
℟. Vt digni efficiamur promiſſionibus Chriſti.

Oremus.

DEVS, qui Indiarum gentes, Beati FRANCISCI prædicatione, & miraculis Eccleſiæ tuæ aggregare voluiſti: concede propitius; vt, cuius glorioſa merita veneramur, virtutum quoque imitemur exempla. Per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum Filium tuum, &c.

Ad M. D. G. B. V. M. I. C. H.